

istæ populi fuerunt, et gentes, ab Italia (193), Germania, Hispaniis, Anglia, ab ipsa nostra Gallia Cluniacum dirivatæ, ibique simul per totam illam absentiam meam, in immensos causarum cumulos congregatae. Hæc ut me præsentem senserunt, ac si in caput meum conjurassent, quæcunque diu continuerant profuderunt. Feci quod potui, et evasi ut potui; hæc qui non advertit, qui non recogitavit, qui non consideravit, quid meruit? Sed indulgeo, dabo veniam, prosequar morem meum. Nolo in uno reo mansuetudinem meam perdere, quam in multis millibus soleo conservare. Jam vero in itinere meo super quo certificari rogasti, quid egerim, quid dixerim, quid invenerim, ad litteras, quas domino Clarevallensi facio, per eas de his omnibus instruendum te mitto. Ibi cuncta leges, ibi cuncta reperies. Scripsi ei, ut ostendat eas tibi. De consan-

(195) *Gentes ab Italia*, etc. Sic et anonymous qui vitam S. Morandi Cluniacensis monachi scripsit. « Ad Cluniacum, inquit, tunc tanquam ad commune pietatis asylum confugiebat quasi universus orbis pro suorum spirituali instauratione locorum. Hinc effusa spiritualium virtutum nardo impleta est tota mundi domus ex odore unguenti, dum religionis monasticæ fervor, qui illo tempore pene refrigerat, illorum virorum exemplo studioque recaluit. Gallia, Germania, transmarina quoque Britannia hoc testatur. Hispania, Italia, totaque Europa fate-

A guineo meo, abbate Miratorii mirando, et admirabilis, quid dicam non invenio. Invenirem vero fortassis, nisi brevitatis studium finire me epistolam cogeret. Præter hoc tempus breve, Pentecoste urgens, cursor festinans, cursum verbi impediunt, et animum maximos tumultus suos exprimere gestientem reprimunt. Nec illam Miratorii materiam, etiam si tota ei dicaretur, brevis epistola expleret, cui vix liber integer sufficere posset. Da operam, quæso, ut dies colloquii inter me, et dominum Clarevallensem, tertia post Pentecosten Dominica apud Divionem, si fieri potest, habeatur. Dominum abbatem, ut te nobis citissime mittat, rogavi. Tu vero nullo modo citius venire graveris. Es enim mihi, et propter ista, et propter quædam alia, multum necessarius. Cursori, quod tandiu moratus est, noli imputare, sed mihi; excusaque eum apud cæteros. Vale (194).

tur, plena monasteriis ab eis aut noviter fundatis, aut ab antiquo senio reparatis, » etc.

(194) Ad explendum epistolarum hujus libri sexti numerum, quæ L computantur in Chronic. Cluniac. Desiderari videntur hic adhuc tres, nisi forte quis illas tres, ad Petrum de S. Joanne, et adversus Petrobrusianos, quæ tractatus potius quam epistolæ censentur a pluribus, et quas se jungendas nos docuit idem Chronicon, eis adnumerandas existimet.

## AD LIBROS SEX EPISTOLARUM PETRI VENERABILIS SUPPLEMENTUM.

### PETRI VEN. ET VARIORUM AD IPSUM EPISTOLÆ.

NUNC PRIMUM IN UNUM COLLECTÆ.

#### I.

*Epistola R. abbatis Vezeliacensis ad PETRUM abbatem Cluniacensem. — Misericordiam ab eo flagitat pro Philippo quodam monacho irreligioso.*

(Circa an. 1125.)

[MARTENE, *Thesaur. Anecd.*, I, 566, ex autographo in archivis S. Mausueti.]

Reverendissimo Domino P. Cluniacensi abbat frater (195) R. Vizeliacensis abbas salutem et benedictionem.

Cum apud Luperciacum hospitati fuissemus, in

(195) Is est Raynaldus frater Petri Venerabilis Lugdunensis archiepiscopus.

C ipsa nocte quidam Philippus juvenis, quem a Castello Canino nuper illuc misisti, desperatione ejusdam penitentiae sibi per epistolam vestram injunctæ ductus, turrem ecclesiæ ascendit, et se quærentes fratres lapidibus obruere voluit. Tandem nos ad ecclesiam ivimus, et in fide eum vocavimus: aliter enim descendere nolebat, et quare hoc fecisset inquisivimus. Ille autem dixit se a domno Ildino priore Castelli Canini de confessione sua detectum, et pannos suos, quos ei dimisit patruus suus prædecessor ejusdem Ildini,

qui postmodum ex abbatte Vizeliacensi factus est

in morte sua sibi ablatos ab Ildino conquerus est, cum sui panni satis tenues et vetusti ante nos allati fuerint: pro quibus misericordiam vestram flagitamus, ut et ipsum fratrem Philippum ab onere quod portare nescit in tam parvo conventu allevietis, scilicet a custodia et ab abstinentia vini et generalis, et ut pannos suos sibi dimissos recuperet obsecramus.

## II.

*Petrus Venerabilis abbas Cluniacensis pro Rodulfo de Perrona benefactore ordinat missas ac processum Cluniaci tum in toto ordine celebrandas.*

(Circa an. 1140.)

[*Spicil. edit in 4°, tom. XI, p. 532.*]

Ego frater PETRUS humilis Cluniacensis abbas nota facio legentibus ea quae sequuntur. Comes RODULFUS de Perrona, filius Hugonis Magni, fratri Philippi regis Francorum, magnus amicus et benefactor exstitit hujus in qua omnipotenti Deo servire optamus sanctae Cluniacensis Ecclesiae. Hic post reliqua bona opera sua, quibus Deum sibi propitiare dum incolmis viveret, laborabat, jam infirmus et morti proximus praecedentibus aliquid majus adjunxit. Nam monasterio de Crespeio, quod antiquitus in eodem Crespeii castro constructum fuerat, et Cluniacensi Ecclesiae subditum erat, tam in terris quam in terrarum redditibus, tanta largitus est, ut redditus annui terrarum illarum, mille solidorum quantitatem excederent. Praeter haec et multa alia quae diversis ad Cluniacum pertinentibus monasteriis delegavit, etiam ipsi Cluniaci monasterio quingentas argenti marcas jure testamentario donavit. Quae ipso jam vita exemplo paucis post diebus Cluniacum allatae sunt, et Cluniacensi conventui publice in capitulo presentatae.

Nolentes ergo, imo vitantes tantis beneficiis ex toto apparere ingrati, communi consilio et precibus præcipimus ei duo tricenaria fieri, tres missas ab unoquoque sacerdotum cantari, ter septem pœnitentiales psalmos a cunctis aliis non sacerdotibus dici; per universa monasteria ad Cluniacum pertinentia, ubi ordo tenetur, tricenaria celebrari, ab aliis sacerdotibus tricenaria non facientibus duas missas absque exceptione aliqua celebrari. Super haec omnia, quod raro cuilibet conceditur, datum est ei et anniversarium solemne, sicut uni post imperatores et reges de majoribus amicis et benefactoribus nostris. Ut autem sciatur ejusmodi sit hoc anniversarium, die qua illud celebrandum est, sicut pro eo generale officium in conventu cum missa similiter publica; fratres universi sacerdotalis ordinis Cluniaci morantes, eadem die missam pro ipsius salute celebrabunt, alii psalmum *Miserere mei Deus* dicent, et tredecim pauperes resipientur. Annuale insuper missarum, hoc est anno integro quotidiana missa pro eo celebrabitur. Facta sunt ista ut omnipotens

A miserator per immensam misericordiam suam ejus misereatur, et a sorte impiorum creptum, eum numero suorum associet, et felicis ac semperternæ vitae participem facere dignetur. Amen, amen.

## III.

*Epistola Petri abbatis Cluniacensis ad Diethelnum presbyterum. — Monasterium de Thierbach diœcesis Basileensis ordini Cluniacensi aggregatum.*

(Anno 1142.)

[*MARTENE Thes. Anecd. I, 395.*]

Venerabili presbytero domino DIETHELMO, et omnibus in parochia de Sultza commorantibus, frater PETRUS Cluniacensis abbas, salutem.

Quando primo novam plantationem de Thierbach inchoasti, et in subjectionem esse Cluniaci destinasti, vos ipsos omnium fratrum Cluniacensium orationibus incorporasti. Quocirca nos eundem locum ulterius permanere in domini Cluniaci predicti privilegio stabilimus, et nulli alteri ecclesiæ subjacere, nec aliud contra privilegium valere præcipimus. Omnes ergo eodem loco bona facientes, nos participes omnium bonorum omnium fratrum Cluniacensium constituimus, et confratres nostros facimus, et in morte et in vita pro eis orare decernimus, ut Deus eos ab omnibus peccatis absolvat. Amen.

Datum Cluniaci anno millesimo centesimo quadragesimo secundo, tertio Nonas Martii.

## IV.

*Epistola Petri venerabilis ad Odonem Belvacensem episcopum. — Petrus monachus Cluniacensis fit abbas S. Luciani.*

(Anno 1147.)

[*Gall. Christ. nov., t. X, col. 256.*]

O[DONI] Dei gratia Belvacensis Ecclesiæ venerabili episcopo et ejusdem Ecclesiæ canonicis, et conventui B. Luciani, frater P[ETRUS] abbas Cluniacensis, salutem et dilectionem.

Quamvis grave sit nobis fratres nostros aliis concedere monasteriis, petitioni tamen vestrae, intuitu charitatis assensum non negavimus, et fratrem Petrum, quando abbas fuerit ecclesiæ B. Luciani, liberum et absolutum concedimus. Valete.

## V-VII.

*Petri Venerabilis ad Sugerium abbatem epistolæ tres.*

(Exstant inter epistolas Sugerii numm. 31, 126, 127. Vide Patrologia tom. CLXXXVI.)

## VIII.

*Epistola Sugerii abbatis S. Dionysii ad Petrum Venerabilem.*

(Vide ibid., sub num. 164.)

## IX-XI.

*S. Bernardi ad Petrum Venerabilem epistolæ tres.*

(Vide S. Bernardi epistolas 148, 149, 267 Patrologia tom. CLXXXII.)

## XII.

*Epistola Petri Cellensis ad Petrum Venerabilem.*

(Exstat lib. II epist. Petri Cellensis, epist. I.)

## XIII.

*Epistola Petri Venerabilis ad Hugonem abbatem de Tribus Fontibus. — Ad petitionem S. Bernardi donationem facit monasterio Trium Fontium (196).*

(Anno 1150.)

[MARTENE Anecdot. t I, col. 407, ex chartario Clun.]

Dilecto et venerabili fratri Hugoni abbatii de Tribus Fontibus ejusque successoribus regulariter substituendis frater P. humilis Cluniacensis abbas in perpetuum.

Nihil magis convenit et personae et Ecclesiae nostrae, quam querere quae ad pacem sunt, et sub charitatis concordia, reliquos ordines qui ubique terrarum nobis et nostris junguntur, dulciter confovere. Præcipue autem illos qui de Cisterciensi ordine exierint, specialiter domum Clarevallensem, singulariter ejusdem loci abbatem charissimum nostrum, et quae ad ipsum pertinent volumus omnimodis conservare. Inde est quod ecclesiam de Tribus Fontibus primogenitam filiam Clarevallensis monasterii adversus filios nostros monachos Sanctæ Margaritæ et illos de Baudo Villari, ne aliqua querela amplius de vicinitate terrarum inter eos oriatur, præsentis privilegii pagina communimus. Donamus enim prædicto monasterio de Tribus Fontibus ad petitionem charissimi nostri Clarevallensis abbatis, et confirmamus quidquid habebamus a parte Trium Fontium usque ad fontem qui dicitur Berar Sarcum : ita ut a prædicto fonte sit meta et linea via Roberti Hispaniae, usque ad Caladiam de Rocheriis, quae est via ultra veterem capellam, et ultra viam Salmariam ; et inde usque ad territorium de Clanseniacum : ita ut præfati monasterii de Tribus Fontibus sit, quidquid est infra terminos istos sine omni costumia, ad annum censum decem solidorum Pruvinensis monetæ, qui reddentur singulis annis in die Ascensionis Domini domui de Baudo Villari. In hac autem terra monachi de Tribus Fontibus in plurimis locis habebant tertiam partem, qui et dederunt nobis quamdam partem quam habebant extra fontem Berar Sarei, videlicet quidquid ibi habebant : ita tamen factum est hoc, quod monachi nostri de Baudo Villari excellent ibi terram quam excolere solebant, vallem illam quae est inter veterem capellam et pratum, et in longum usque ad Caladiam viam quam supradiximus, et nihil amplius. Quod si terram illum dimiserint monachi, non poterunt eam dare, nisi monasterio de Tribus Fontibus. Habebunt etiam ibi usuarium nemoris in omnibus ad proprietatem domus suæ, et communem pasturam in omnibus finibus Trium-Fontium, ad omnia pecora sua; et monachi de Tribus-Fontibus similiter, in omnibus finibus eorum et ad omnia pecora sua. Ne autem hoc aliqua temporum vetustate vel alicujus hominis perversitate aut mutaretur aut deperiret sigilli nostri impressione firmavimus.

(196) Trium-Fontium-insigne monasterium ordinis Cisterciensis in diœcesi Catalaunensi anno 1117 fundatum.

A Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini 1150.

## XIV.

*Epistola Petri Venerabilis ad R. priorem S. Benedicti. — Permittit electionem abbatis.*

(Circa annum 1150.)

[MARTENE, ibid., col. 408.]

Venerandis et dilectis fratribus nostris R. priori et aliis apud S. (197) Benedictum Deo servientibus, frater P. humilis Cluniacensis abbas, salutem, et a Domino benedictionem.

Vidimus litteras dilectionis vestre, et nuntios audivimus, denuntiantes nobis obitum domni Wiilemi abbatis vestri, in quibus et illud legimus, quod videlicet licentiam, gratiam, et benedictionem, ad eligendum abbatem, expetitis a nobis, qui monasterium vestrum in honestate atque religione regere valeat, et in temporalibus atque spiritualibus, opitulante Domino, ad meliora provehere. Ad quod rescribimus, quod venerunt cum domino Honesto abbate, et ejus socio, quos nobis misistis : quorundam Romanorum pontificum privilegia ostendimus, eaque coram ipsis ex parte legimus, scilicet Gregorii papæ VII, Urbani II, Paschalis II, Gelasii II, Calixti II, Honorii II, Lucii II, in quibus aperte continetur modus, quo obeunte abbate vestro, ad abbatis alterius electionem procedere debeatis quem si in vestra electione, ut decet, servaveritis, nos id sicuti et justum est, libenti animo vobis concedimus. Et ut ad hujusmodi electionem faciendam, in nomine Domini procedatis, non solum volumus, sed etiam prorsus hortamur. Quod si forte, juxta quod a jam dictis legatis vestris accepimus, reverendi patris nostri domni Eugenii papæ mandatum, vel decreto aliud continens, quod nos tamen nunquam vidimus, vel accepimus, habetis ; nos voluntati ejus, mandato, vel decreto, in nullo contrainimus, neque vos ab implendo ejus præcepto, vel jussione, in aliquo impeditus. Spiritus consilii et timoris Domini sit et nunc et semper vobiscum. Amen.

## XV.

*Epistola Petri abbatis Cluniacensis ad R. abbatem Moisiaci. — Mandat ut fratres beatæ Mariæ Deauratæ justitiam faciant canonicis S. Stephani Tolosani.*

(Circa annum 1150.)

[MARTENE, ibid., col. 409, ex chartario S. Stephani Tolosani.]

Venerabili et dilecto fratri domino R. abbatii Moisiaciensi, frater P. abbas Cluniacensis salutem et dilectionem.

Præpositus S. Stephani Tolosanæ sedis, de fratribus S. Mariæ Deauratæ querimoniam in concilio fecisset, si non illum compescuissemus, promittentes eidem justitiam de prædicti loci fratribus. Mandamus itaque vobis, ut fratres ipsos cum canonicis

(197) In monasterio scilicet S. Benedicti ad Padum, quod Cluniaco subjectum confirmavit Honorius papa II in epistola ad Cluniacenses.

judicium justitiae faciat subire, et quod æquitas A tens Deus vos benedicat, et ad vitam perducat  
judicij dictaverit, ita teneri ac prosequi, ut non sit  
unde merito querimoniam debeant facere; sic enim  
illis promisimus, et sic fieri volumus ac præci-  
pimus.

## XVI.

*Litteræ Petri abbatis Cluniacensis, de societate inita  
inter Cluniacenses et Resbacenses monachos.*

(Anno incerto.)

[MARTENE ubi supra, ex ms. Resbacensi.]

Universis sanctæ Cluniacensis Ecclesiæ fratribus  
ubique terrarum constitutis, frater PETRUS Cluniacensis abbas, salutem, gratiam et benedictionem.

Pia et cognita opinio probatæ religionis domni  
Natalis Resbacensis abbatis nobis persuasis, quatenus eum ejusque congregationem nostræ, id est Cluniaciensi congregationi, nostramque Resbacensi, quedam familiarium orationum vinculo visceribus Christi incorporaremus. Noveritis ergo nos ei ejusque  
fratribus per omnia loca nostra concessisse capitulum, et cum brevis alicujus defuncti Resbacensem  
fratum ad nos venerit, generalem missam in con-  
ventu et officium habebit. Ipse vero dominus Natalis,  
ejusque successores in locis nostris capitulum tene-  
bit, in refectorio ad scillam sedebit, post obitum  
suum in Cluniaco tricenarium habebit. Hoc ita ob-  
servandum statuimus.

## XVII.

*Petri abbatis Cluniacensis Epistola ad Venetos sena-  
tores. — Ad ineundam suffragiorum societatem.*

(Anno incerto.)

[MABILL. *Analect.* ed. in fol., p. 459.]

Dilecissimis nobisque plurimum devotis dominis  
L. V. D. B. PETRO L. atque Basiliis germanis fra-  
tribus Fr. P. C. F. S. indignus cum omni congre-  
gatione Cluniaciensi totius salutis, totius bonitatis,  
totius benedictionis plenitudinem.

Bonorum omnium inspiratori cunctorumque om-  
nipotenti largitori Deo, qui vestris cordibus tam  
devotum erga nos nostramque congregationem tam  
ardentissimæ charitatis inspiravit servorem, grates  
immensas reddimus. Etenim, cum apud Venetiam  
orationis beati Marci et visitationis fratrum gratia  
essemus, non valemus vestræ devotionis vestrique  
obsequii largitatem exprimere. Sed quoniam valde  
inhumanum est tanti beneficii esse immemores, ut  
cætera omittamus, illud dicere et memoriae man-  
dare volumus, qualiter vestræ dilectioni statuere  
et confirmare placuit, ut vos annuatim centum li-  
bras candidi incensi Deo et beatis ejus Petro et  
Paulo atque eorum Cluniaciensi Ecclesiæ ob-  
vestrorum detis remissionem peccatorum. Quamob-  
rem nos constituimus propter vestrorum qui de-  
cesserunt, tam marium, quam seminarum paren-  
tum indulgentiam peccatorum, ut omni anno in  
crastinum transitus sancti Benedicti fiat generale  
officium cum missa, atque ab omnibus sacerdo-  
tibus missa cantetur, et a cæteris psalmi secun-  
dum morem nostri ordinis. De cætero omnipo-

A tens Deus vos benedicat, et ad vitam perducat  
æternam.

## XVIII.

*Ejusdem Petri abbatis Cluniacensis Epistola ad Car-  
thusienses. — Ejusdem argumenti.*

(Anno incerto.)

[MABILL. *Analect.*, ibid.]

Ego frater PETRUS, humilis Cluniacensium ab-  
bas, nota facio cunctis ista lecturis quæ sequun-  
tur.

Fratres Carthusienses quam signatæ et famosæ  
religionis fuerint semper, innumeris per orbem dif-  
fusis miraculis clarum est. Ea de causa a primis  
promotionis nostræ ad hoc officium annis, et etiam  
antea, adhæsit anima mea illis, et super omnes  
B religiosæ professionis congregations, exceptis com-  
missis nobis semper eos et dileyti et veneratus sum.  
Non minorem autem ipsi jam ante annos xxx dilec-  
tionem, et ubi eis possibile fuit, operis vicem no-  
bis rependerunt. Unde a nobis assensu fratrum in  
capitulo Cluniaciensi constitutum est, ut obeunte  
fratre Carthusiensis ordinis, siat pro ipso apud  
Cluniacum officium et missa in conventu : singuli  
autem sacerdotes unam missam, alii vii psalmos  
vel septies *Miserere mei Deus* dicant : in cæteris vero  
prioratibus Cluniaciensis congregationis officium  
publicum cum missa persolvatur. Statutum est  
etiam, ut nomina eorum, postquam defuncti fuerint,  
post fratres nostros defunctos in memoriali defun-  
ctorum scribantur, tam in Cluniaco quam in cæte-  
ris locis nostris.

## XIX.

*Carthusiensium epistola ad Cluniacenses.*

(Anno incerto.)

[MABILL. *Analect.* ibid.]

Nos indigni et humiles paupeřes Christi qui in  
eremo Carthusiæ propter amorem nominis Jesu  
consistimus, et cæteri præpositi nostri priores cum  
fratribus suis, nota facimus posteris ista quæ se-  
quuntur.

Domnus Petrus Cluniacensis Ecclesiæ abbas, a  
primis promotionis suæ annis quantum nos dilexe-  
rit, quanta charitate nobis astrictus fuerit, et nos  
experti sumus, et multis manifestum est. Fratres  
D quoque ejusdem sanctæ congregationis, tam an-  
tiquiores, quam moderni, ex quo domus Carthusiæ  
sumpsit exordium, semper nos dilexerunt, et in  
Christo Jesu multum venerati sunt, pluribusque  
beneficiis nostram paupertatem sustentaverunt. Unde  
ne ingrati simus tantæ dilectioni, pro modulo no-  
stro (pauci enim numero sumus) ut aliquid tamē  
secundum possibilitatem nostram et morem no-  
strum offeramus, congregatis nostris quibuscum-  
que præpositis prioribus, et recitatis litteris quas  
præfatus abbas nuper detulerat, ex voluntate et  
animo, et sententia ipsorum in communi capitulo  
constitutum et confirmatum est hoc quod sequi-  
tur. Pro domino Petro abate Cluniaciensi, quando  
eum obire contigerit, in cunctis nostri ordinis

domibus, excepto anniversario, quod in nostro Martyrologio scribitur, idem et par officium fiat, quod pro priore vel professo fieri consuevit. Pro cæteris vero totius ordinis Cluniacensis defunctis, præter privatas orationes semel in anno generale officium, tam de missa, quam de agenda in conventu celebrabitur: a singulis quoque sacerdotibus pro eisdem defunctis singulæ missæ, a non sacerdotibus pro eisdem defunctis unum psalterium, a laicis træcentæ orationes Dominicæ persolvantur (198).

## XX.

*Petri Venerabilis præceptio seu constitutio de Balmensi monasterio.*

(Anno 1151.)

[MABILL., *Annal. Bened.*, t. VI, p. 500.]

Ego frater PETRUS, humilis fratrum Cluniacen-

(198) 1. Varias spiritualis societatis formulas  
huc retuli, tum quia pleraque illustrium virorum  
sunt, tum ut sumpto inde argumento, ejusmodi so-  
cietatum originem, progressum, ritusque illustra-  
rem. Etsi enim rem attigerint nonnulli auctores,  
quædam tamen observatu haud indigna prætermis-  
sisse mihi videntur, de quibus hic agere aliquod  
operae pretium duxi. Fluxit vero mos iste ex per-  
suasione ecclesiastice communionis, et ex usu  
diptychorum, quæ olim in sacris oblinebant, ut  
symbolum istius communionis. Duplex in eis ordo  
erat, vivorum et mortuorum, quorum nomina inter  
sacra recensebantur. Diptychorum exemplo inven-  
tum est apud monachos necrologium seu liber de  
mortuis, in quo ascripta sunt nomina fratrum, be-  
nefactorum, et eorum qui ex condicto in societatem  
admissi erant. Hi ex nomine, quo quisque mensis  
die obierant, recitabantur post Martyrologii et Re-  
gulæ lectionem ad Primam. Dicebantur *conscripti in Regula*, seu *in Martyrologio*, aut *in libro vitæ*. Hinc dicti *Frates conscripti* apud Sanctum  
Gallum.

2. Ritus iste invaluit apud nostros jam inde ab  
ineunte sæculo sexto. Testes litteræ Theodilanæ seu  
Theodetrudis matronæ, quæ ob donationes Dionysiano  
coenobio factas postulavit, ut *nomen suum in libro vitæ conscriberetur*, anno XLIII Chlotharii regis.  
Idem eodem tempore postulat Bertchramnus epi-  
scopus Cenomannensis in suo testamento. Insignis  
hac de re locus eodem ævo exstat apud Bedam in  
epistola ad Eadfridum episcopum et ad congrega-  
tionem Lindisfarnensem monachorum, prosaicæ  
S. Cuthberti Vitæ præfixa, in qua præmioli vice  
sibi viventi orationes deposcit, insuper hæc addit:  
*Sed et me defuncto pro redemptione animæ meæ, quasi pro familiaris et vernaculi vestri, orare, et missas facere, et nomen meum inter vestra scribere dignemini. Nam et tu, sanctissime antistes, hoc te mihi promisisse jām retines: in cuius etiam testimonium futuræ conscriptionis, religioso fratri nostro Gudfrido mansionario præcepisti, ut in albo vestræ sanctæ congregationis meum nunc quoque nomen apponeras.* Ita rogatu Caroli M. Alcuinus ab episopis  
synodi Francosurtensis in communionem suffragiorum  
admissus est.

3. Hæ singulorum hominum societates erant: sed quando primum congregaciones seu monasteria cum aliis perpetuas ejusmodi societas inierint, non adeo liquet. Mihi vero nihil super his occurrit antiquius, quam epistola 24 S. Bonifacii ad Aldhe-  
rium abbatem, in qua petit orari pro dormientium  
fratrum animabus, quorum nomina gerulus harum,  
inquit, litterarum demonstrabit. Duæ sunt aliæ ejus-  
dem argumenti epistolæ inter Bonifacianas, quarum

A sium abbas, notum facio tam eisdem fratribus, quam cunctis legentibus ea quæ sequuntur.

Balmense monasterium, a sancto, ut tama est, Columbano fundatum, diu non sub ipso tantum, sed et post ipsum diutius in sanctæ religionis proposito a sancto fundatore suscepto tempore non parvo perseveravit. Adeo autem tam constantem sui perseverantiam in his sacris studiis exhibuit, ut tam apud Luxovium et Lirinum præcipua prius monasteria, quam etiam in tota pene Gallia reli-  
gione monastica languescente, in sola Balmensi ec-  
clesia fugaces ejus reliquiæ longo post tempore ve-  
lut ex propriis sedibus expulsæ reseditte videren-  
tur. Testis est horum quæ dico, cum multo amore  
et honore nominandus sanctus Pater noster Odo,

B qui ab ultimis pene occidentis finibus causa ex-  
plorandæ religionis egressus, cum multa monaste-

una Cineheardi episcopi ad Lullum, numero 74, altera est Dodonis abbatis Hornbacensis ad eumdem Lullum seu Lullonem Moguntinum antistitem, quæ epistola inter Bonifacianas est ordine 84, in qua Dodo cuin sua S. Petri congregatione monachorum ita loquitur: *Igitur cum salutationis officiis humili prece depositimus, ut istam familiam Christi et sancti Petri in vestra commemoratione semper habeatis: et ipsi pro omnibus amicis vestris, tam episcopis et eorum clero, quam abbatibus et eorum monachis, seu abbatissis et Deo dicatis, in ista congregatione S. Petri oratores vestros, tam vivos, quam defunctos, in vestra mercede commemorare faciatis, ut in sacris orationibus illorum eam assidue memorare debeant, quatenus per illorum suffragia olim optatam adire mereamur patriam paradisi. Similiter vos depreca-  
mur, ut omnium amicorum vestrorum nomina, tam virorum, quam defunctorum, per præsentem fratrem nostrum Saganaldum, per breve ad nos dirigere faciatis, ut ipsos, sicut de aliis fratribus nostris facimus, ita in nostris assiduis orationibus ipsos memora-  
re debeamus.* Hisce litteris instituta est spiritualis  
orationum societas cum ecclesia Moguntina, et cum iis omnibus, quos ipsa in suam communionem cooptaverat, et quidem non modo in gratiam mor-  
tuorum, sed etiam vivorum:

C 4. Brevia seu breves illi, de quibus agit epistola, rotuli erant, in quibus sociorum nomina ultræ citroque per gerulos mittebantur. Horum brevium exempla suppeditat Haestenus in Disquisitionum monasticarum tom. II, pag. 793. Generalès unius anni breves illi erant, id est unius anni mortuos continentes: sed quando itineris difficultas non obstabat, singulares pro unoquoque mittebantur. Moris vero erat, ut ex iis, ad quæ ejusmodi sche-  
dulæ mittebantur, monasteriis remitteretur versus lugubres in funus personarum maxime insignium, qui versus *Tituli* appellabantur, ut *Titulus S. Remigii*, etc.

D 5. Itaque a sæculo maxime octavo vulgata est in ecclesiis ac monasteriis ejusmodi orationum communio, qualis est una in Spicilegii tomo IV, inter monachos Dionysianos ac Remigianos anno XXV Ludovici Pii eo pacto inita, ut talis inter eos servor charitatis et tanta vis dilectionis maneret, ac si in uno (si fieri possit) conversarentur loco. Deinde ut quando aliquis ex ipsis corporis nexibus absolutus a sæculo migrasset, unusquisque eorum infra triginta dies psalterium pleniter compleret, ac sacerdotes mis-  
sus eidem psalterio congruentes pro eo celebrare stu-  
derent, et tres vigilias, id est primo et septimo atque tricesimo die, communiter pro eo peragerent. Si vero quidam ex eis, inquiunt, aliqua corporis incommodi-  
tate occupatus fuerit, mox ut nobis nuntiatum fuerit

rja per diversas constituta regiones circuisset, non A Balmense monasterium, quo casu nescio, paulatim concidit, et a summis ad ima defluxit.

Processu dehinc temporis a Willelmo magno et nobili Aquitanorum duce ad fundandum novum monasterium in Matisensi episcopatu, valle quæ Cluniaca dicebatur electa, eaque cura Bernoni Balmensi abbatii ab eo imposta, provectus est de monacho in Cluniacensem abbatem jam dictus pater Odo; qui de Balma Cluniacum translatus, Cluniacensis ordinis prima fundamenta jecit: eaque non super arenam, sed super petram constituens, tam per se quam per sibi succedentes sanctos ordinis nostri patres coepit sanctitatis aedificium, ut nunc datur cernere, per omnipotentis Dei gratiam usque ad ipsa pene fastigia cœli provexit. Sed ut inter innumera de talibus exempla superbientibus mortaliibus ostenderetur, non solum hominem, sed nec aliquid in mundo humanum esse posse diuturnum, verumque esse quod de ipso homine verax scriptura loquitur, nunquam in eodem statu permanet; et illud, summisque negatum est stare diu, a longo bene diu servatæ religionis proposito jam dictum

*omni die, quo usque convalescat, aut ab hac luce discedat, unusquisque quinque psalmos pro eo sollicitate compleat. Denique ut nomina defunctorum illorum inter nomina nostrorum defunctorum inserantur, ut sicut pro nostris, ita etiam pro illis quotidie Deo sacrificium offeratur.* Præter hæc litteræ societatis inter Gallenses et Augienses monachos tempore Caroli Magni initæ addunt semel in anno commemorationem omnium defunctorum pro annuali singulorum, et quidem xviii Kalend. Decemb. quo die etiam nunc a nobis celebratur, præter solemnem omnium defunctorum memoriam, quæ S. Odiloni originem suam refert acceptam.

6. In superioribus formulis hæc fere pro unoquoque mortuo persolvuntur: missæ, vigiliæ seu agendæ mortuorum, psalmorum aliquot per certos dies recitatio, vel orationis Dominicæ; præbendæ seu annonæ in pauperes erogatio, sive per totum annum in dies, sive per continuos triginta dies. Nihil de oratione seu salutatione angelica, nihil de communione sacra. Quippe necdum ita tritus erat salutationis angelicæ usus, nec prorsus communio-nis in gratiam multorum, quæ his temporibus ubique recepta est. Quidni vero id fieri possit, quando operum merita in aliud conferri possunt? Unde Gregorius Nazianzenus cum Eulalio scripta schedula paciscitur, ut Eulalius secum jejunii, Gregorius cum Eulalio silentii meritum communicearet. Neque porro quisquam inficias ire debet, uberiorem meriti portionem refundi in eum, qui ex condito suffragiorum communionem obtinuerit, quam in aliud, qui pro generali ratione ecclesiastice communionis eadem participat. Sicut orationis, quam quilibet ab alio impetraverit, virtutem peculiarius meretur, quam qui pro unitate corporis mystici ejusdem orationis fit particeps.

7. In cathedralibus ecclesiis ejusmodi societates etiam in usu erant. Moguntinæ ecclesiæ exemplum superius retulimus. Fulbertus Carnutensis episcopus aliud de sua Ecclesia addit in epistola 110 ad Lexoviensem pontificem, ex qua eum ad relaxandas circadas hortatur his verbis: *Optamus etenim potius,*

Balmense monasterium, quo casu nescio, paulatim concidit, et a summis ad ima defluxit.

Prætereo casum, qui nostri temporis hominibus nimium notus est, et qui indignitate sui scripto ad posteros transmittendus non est. Et ut ad rem, propter quam breviter ista præmisimus, cito accedamus; temporibus meis destitutum omni pene monastici fervoris proposito locum sæpe nominatum, Balmense dico monasterium, pater noster dominus Eugenius papa III mihi ex insperato commisit; et ut curam quam possem ad istud in melius resormandū adhiberem, litteris suis rogavit, pariter et præcepit. Præcepit etiam et insuper privilegio apostolico sanxit, quatenus idem locus Balmensis, non abbatiae, sed prioratus nomine, Cluniacensi semper monasterio subisset. Fecit autem hoc ea de causa, ut labor noster vel sollicitudo illi loco adhibita certius [al., citius] ac liberius in fructum optatum prorumperet, et ad finem congruum remotis omnibus obstaculis facilius perveniret. Confirmavit hoc idem Chrysopolitanus, qui et alio nomine Bizuntinus vocatur, archiepiscopus dominus Humbertus, in cuius diœcesi locus ipse continetur, laudante hoc et confirmante in mea præsentia universo capitulo suo, et hoc ipsum attestante charta, quæ in Cluniaco continetur signata sigillo suo. Non defuit huic ne-

C non parvo tuæ ipsius utilitatis amore ducti, in albo felicis ordinis benefactorum nostrorum te recenseri: ut cum pro illis, tum etiam pro te juge Domino sacrificium offerentes, ac humanitatis tuæ beneficia coram illo recitantes, dignum te libro quoque vitæ cœlestis inseri prædicemus. Sed præ cæteris insigne exemplum est in actis Aldrici episcopi Cenomanensis, qui in synodo anni 840 orationes pro se instituit, ejusque exemplo qui synodo aderant, pro suis confratribus in anno duodecimi cantare missas cum oblationibus et reliquis orationibus singuli promisebunt: et quandocunque, inquiunt, nostrum unusquisque decesserit, decanus nomina de suis junioribus conscripta in nostra per singula tempora synodo deferat, et unusquisque nostrum pro illis missas compleat duodecim cum oblationibus, et reliquis orationibus, et vigiliam cum novem psalmis et totidem lectionibus et responsoriis, una cum matutinali synaxi (*Laudes vocamus*) fideliter pro defunctis fratribus peragat. Hæc in tomo III Miscellaneorum Baluziano, pag. 148. Deinde subsequuntur missæ tam pro vivis, quam pro defunctis: ubi in secretis orationibus mentio fit de dyptychis vivorum ac mortuorum.

D 8. Denique prætermittendum non est id quod legere memini in litteris societatis, anno 927 initæ inter canonicos ecclesiæ Laudunensis et Sancti Remigii monachos, eo videlicet rationis tenore ut cum quilibet utriusque congregationis divina vocatione hominem exuerit, omnes hoc auditio mox ad tactum signorum ecclesiam adeant, communiterque exitum pro illo decantent, ac veluti ibidem præsens frater obierit, animam ipsius Deo precibus commendent. Postea vero quatuor vigilias ejusdemque numeri missas, primi scilicet, tertii, septimi, ac trigesimi diei, decantent, omnesque simul integrum canendo psalterium. Nomen quoque fratris in catalogo defunctorum annotetur, sacro altari tempore sacrificii superponendum. Hæc erant dyptycha, quæ ob oculos sacerdotis tempore sacrificii ob memoriam ponebantur.

gotio voluntas et assensus comitis Burgundiae Wilhelmi ipsius monasterii advocati, cuius non solum assensu, sed et instinctu omnia gesta sunt. Ostendit hæc charta, quam armarium Cluniacense continet, sigilli ejus impressione signata. Hoc monasterium ego frater Petrus, humilis fratrum Cluniacensium abbas, jam dicti domni Eugenii papæ III imperio, archiepiscopi ecclesiæ Bizuntinæ assensu, domni Willelmi comitis rogatu, ut jam dixi, regendum suscipiens, multum in eo laboravi; multa, ut tam in spiritualibus quam in temporalibus provehernetur, expendi; et tandem brevi tempore matrem inveteratam in juvenem et formosam Cluniaci filiam, gratia Spiritus sancti, magis magisque in dies decorandam converti. Unde quia dicente Domino juxta unum evangelistarum, dignus est operarius cibo suo; et juxta alium, dignus est mercede sua; vellem, si omnipotenti Domino placeret, aliquem hujus laboris mei fructum, non hic, sed alibi percipere, et horarum laborem mercede perpetua compensare. Præcipio itaque, et constituo, ut die, quam viam universæ carnis me ingredi Domino placuerit, et commune mortis debitum solventem quo jusserit evocare; a priore Balmensi, quicunque ille fuerit, refectione fratribus, tam in conventu, quam in infirmaria, more majorum et solemnium procurationum, de bono pane et fabis, vino bono, optimis et magnis piscibus; vel, si congruum tempus fuerit, quantum ad infirmos splendide de carnis magnifice exhibeat. Præter hoc, constituo, ut eadem die centum pauperes de pane, vino et carnis; vel publicæ abstinentiæ diebus, de cibis temporis competentibus plenissime reficiantur. Hoc per Dei gratiam post obitum meum annuatim semper: quan- diu autem vixerim, exhibeatur jam dicta refectione absque aliqua imminutione fratribus et pauperibus ix Kal. Novembris, hoc est in vigilia dedicationis majoris et novæ ecclesiæ, quam felicis memoriæ dominus Innocentius papa II nostro tempore, postulatione et studio dedicavit. Quid pro anima mea vel viventis, vel mortui ea die fiat, non est meum præcipere, et nihil inde instituo: quia hoc sollicitudini et charitati fratrum nostrorum relinquimus.

Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini 1151 die Circumcisionis Domini, lectumque est in capitulo Cluniaciensi audientibus universis fratribus, idemque approbantibus eisdem confirmatum (199).

## XXI.

*Indulgentia data Ecclesiis Cluniacensibus Italæ a Petro abbe Cluniensi.*

(Anno 1154.)

[BALUZ., *Micell.*, ed. in-fol., t. IV, p. 48.]

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo centesimo quinquagesimo quarto, tertio die

(199) Hanc Petri Venerabilis constitutionem Fredericus imperator post duos annos litteris suis confirmavit (*vide infra*), et post eum Adrianus papa IV,

A mensis Maii, indictione secunda. Quoniam qui alicui sedi præsidet, sibi et suis subditis diligenter prævidere oportet. Infirmitibus enim membris, non convalescit caput. Ideoque ego Petrus Dei gratia sanctæ Cluniacensis Ecclesiæ, communicato consilio, cunctis Ecclesiis nostræ ditioni subditis per universam Italiæ constitutis remittimus atque perdonando statuimus quatenus nec nobis nec alicui nostrø successori neque alicui nostræ congregacionis personæ ab hinc usque ad duodecim annos circam vel aliquid exactiōnis in prædictis Ecclesiis facere liceat præter nostram nostrorumque nuntiorum procurationem et annualem censem, quem nobis debent colligere prior Pontidensis et prior Cremonensis. Quod etiam ideo disponimus, quia præfatæ Ecclesiæ trecentas libras denariorum Mediolanensium veterum, quatuordecim libras, et quinque solidos minus persolverunt, quos in Longobardiae partibus debebamus. Si quis autem nostræ congregationis contra hoc nostri statuti præceptum insurgere vel infringere præsumpserit, nullo modo prænominatæ Ecclesiæ eum recipiant, neque illi aliquid impendant. Quod ut verius credatur et diligenter ab omnibus observetur atque in Dei nomine proniore obtineat vigorem, manu propria subter firmavimus et sigilli nostri impressione insigniri atque a quibusdam de majoribus confratribus subscribi præcipimus.

Actum in Ticinensi civitate in Dei nomine feliciter. Amen.

Ego Petrus Cluniaceus abbas subscripsi.

Ego Arnaldus Aureliacensis abbas subscripsi.

Ego Petrus olim prior Silviniacensis subscripsi.

Ego Eravizus camerarius domni abbatis subscripsi.

Ego Balchius prior Gaiæ subscripsi.

Intervenerunt Simeon Sagunen, Rufinus filius Georgii Sartoris, Laprandus de Rûbonibus, Guilielmus Januensis, Jacobus Castaneus, Frasso, testes.

Ego Mignonius notarius sacri palatii interfui, et rogatus a prædicto domino Petro abbate hoc statutum scripsi.

## XXII.

*Epistola prioris Argonensis ad Petrum abbatem Cluniensem.*  
(Anno eodem.)

[BALUZ., *Micell.*, ibid.]

Sanctissimo Patri domino P. venerabili abbati G. Argonensis cœnobii prior simul cum omnibus suis fratribus humillimam in Christo obedientiam.

Quia divina opitulante clementia, Pater egregie, sanctarum cogitationum immissionibus fovemini, ex affluentí sinu vestræ misericordiae ac pietatis quotidie, non solum spiritualiter, sed etiam corporaliter educari flagitamus. De domo itaque Quintianensis

quorum in litteris monasteria et ecclesiæ quæ a Balmensi monasterio pendebant exprimuntur.

cœnobii vestræ jocunditati notificare quod verum est, succincte tamen, non incongruum duximus. Obtemperando utique caritativæ doctrinæ in exordio fratrem nostrum Gisilbertum tibi direximus : qui, Deo favente; licet cum multo sudore, quasi ex nihilo in tantum laboravit ut apud Cluniacum honestus famulatus potest haberi. Quique ibi Deo et vobis obediendo a quodam laico apud dominum Rolandum in multis accusatus est, ex quibus aliquid veritatis nihil adhuc experti sumus, quem dominus Rolandus apud cœnobio Sancti Pauli præcepit morari. Sed ille frater sub occasione consiliandi de

A hac re cum priore Sancti Gabrielis absque licentia Cremonam ivit; a qua cito reversus, regulariter susceptus est. Ex vestro autem præcepto Pontidensis prior in arctam custodiam suscepit ad ferendam lanternam. Igitur, misericordissime Pater, ego et omnes fratres nostri, quia dimittendo sæculum apud nos monasticum habitum suscepit, ad pedes vestros prostrati, supplicando vestram clementiam postulamus quatenus, eum absolvendo, ad nostrum redire faciatis claustrum. In quo Pontidensis prior minime gravatur. Valete.

## PETRI VENERABILIS

### DIPLOMATA.

(*Bibliotheca Cluniacensis*, p. 4395 seq.)

#### I.

##### *Charta Ambroniacensis.*

Ego frater PETRUS humilis Cluniacensis abbas cunctis istud legentibus notam fieri permutationem volo, quæ facta est inter nos, et dominum abbatem et fratres Ambroniacenses. Placuit enim et statutum est ab utraque parte, ad utilitatem, ut credimus, et illorum et nostram, ut Ambroniacenses deinceps perpetuo jure possideant quod habere solebamus in capella de Chalomonte, scilicet tertiam partem, et vineam unam Amberiaci, et alias duas Saisiriaci, et alias quasdam terræ particulas ibidem constitutas. Ipsi vero nobis eodem modo concedunt quidquid juris habere solebant, ad Patris scilicet capellam, et totum jus parochiale, sepulturas, oblationes, decinras, et vii sextaria annonæ, quæ solebant accipere in area nostra. Omnia quoque quæ justis permutationibus esse noscuntur, mutua vicissitudine nos ipsis, ipsique nobis, ab omni calumnia vel contradictione salva conservabunt. Quod ut perpetuo ratum permaneat, sigillo nostro pariter, et domini abbatis Ambroniacensis confirmari decrevimus, et apud nos et ipsos scripta conservari.

#### II.

##### *Charta Petri dicti Venerabilis abb. Clun. IX super Ecclesiæ Sancti Dionysii de Carcere.*

(Anno 1153.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Dilegens præcedentium Patrum providentia et studiosa nihilominus sagacis providentia eorum solertia, alumna pacis, amica concordiae, præsentium futurorumque consulens utilitati, hoc instituit, hoc prævidit, hoc inspirante Deo decrevit, ut quoties aliquid præcipuum agitur, vel Deo servientibus memoria dignum confertur beneficium, litterarum te-

B stimonio et scriptorum privilegio roboretur, quod memoriæ tenacius commenidetur. Cujus constitutionis doctrinam divinitus editam, ego Frater PETRUS abbas Cluniacensis subsequens, actionem illam salutiferam inter piissimum regem Francorum Ludovicum, et ejus uxorem Adelaidam reginam, eorumque filios, ac priorem Sancti Martini de Campis dominum Theobaldum, et conventum solemniter peractam, de Ecclesia videlicet Montis Martyrum, et de ecclesia Sancti Dionysii de Carcere, approbo et concedo, utque nostris temporibus et futuris firmior habeatur, inviolabiliter teneatur, rata conservetur, indissolubili scripto præsenti confirmo.

Sunt autem hæc quæ ego et conventus concessimus, ecclesia videlicet libera, eo duntaxat modo quo monachi nostri tenuerant, et decima ad eamdem ecclesiam pertinens, cum vineis et terra arabili cum uno hospite apud Darentiacum, cæterisque appenditiis quæ ibidem Deo servientes possederant. Addimus præterea ecclesiam de Sancto Martyro cum vineis Adam, et Morelli culturam, culturam etiam quam dominus Matthæus prior comparavit a Warnerio de Portu.

Actum Parisiis apud Sanctum Martinum de Campis, anno ab Incarnatione Domini 1153, indictione xiv, residente in apostolica sede papa Innocentio, Ludovico rege Francorum, et domni Petri Cluniacensis abbatis anno duodecimo.

#### III.

##### *Charta Petri abbatis Cluniacensis ecclesia de Morsalinis.*

Venerabili domino et charissimo RICHARDO Constantiensi episcopo frater PETRUS humilis Cluniacensis abbas salutem et orationes.

Concordiam quæ inter abbatiam et monachos